



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

leiunium quib. personis inexcusabiliter sit obligatorium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

fat, nec ius concedit. Possit tamen persona aliqua vel sic complexionata: vel propter occupationes diurnas, &c. dispensari in hoc (sicut & in aliis rationabilibus casibus, vt dicitur) ab Episcopo. Nec sumere in ientaculo serotino parum panis, frangit ieiunium quia ad hoc videtur serotinum ientaculum reductum, vt non referat quid quisque sumat, si modum non excedit & recte sibi quisque consulere videtur qui illud sumit quid sue complexionis plus prodest, ex quo medicina causa conceditur. Hæc de primo.

Iura dies ieiuniorum statuerunt & consuetudo.

Dies ieiunii noti sunt ex consuetudine magis quã iure. Et propterea constat & quadragesimam, & quatuor tempora, & vigiliis natiuitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis beatæ Virginis, & omnium sanctorum & Apostolorum (nisi Ioannes euangelistæ ac Philippi & Iacobi) natiuitatis Ioannis Baptistæ, ac beati Laurentii & non plures cõmuniter esse ieiunio celebrandas: nisi alicubi antiqua consuetudo aliter obtinuerit in aliquo dierum: quoniã consuetudo derogare potest iuri, sicut fecit ius præcepti in ieiuniis quatuor temporum paschaliũ & vigilia Pentecostes, quorum nullum ex iure apud diuum Thomam est in præcepto: quia est ieiunium exultationis. Hæc de secundo.

Ieiunium quib. personis inexcusabiliter sit obligatorium.

Quo ad tertium (qui scilicet tenentur ad ieiunium) quum hoc sit præceptum generale commune toti populo Christiano, omnes tenentur quæ rationabilis causa non excipit aut excusat. *Rationabilis autem causa in proposito vocatur*

X 3

tam

tam vera quã æstimata, quã authorizata: ita quòd non solũ quæ verè ac euidenter est causa rationabilis, vt infirmitas, sed etiam quæ à ieiunare debente creditur absq; fraude quod sit causa rationabilis (puta dolor aut debilitas talis, quod putat se quis excusari à ieiunio) & rursus causa dubia an sit sufficiens ad frangèdum ieiunium, si authoritate Episcopi fulciatur, pro rationabili habenda est. Igitur sub verè rationabili causa comprehenduntur tria, scilicet impotentia, necessitas & pietas melioris boni.

Ex impotentia siquidem excusantur pueri & adulescentes vsque ad finem tertii septennii, in quo communiter finit ætas augmenti: quia egent nutrimento multiplicato propter augmentum. Excusantur senes: quia senectus morbus est incurabilis. Sed ætas qua incipit senectus, non est determinata: quia naturaliter aliqui trigesimo anno senescunt, aliqui quadragesimo, alii quinquagesimo, prout habent naturaliter longiores ætates. Communiter tamen qui sunt sexaginta annorum, senes sunt: quia scriptum est, Dies annorum nostrorum septuaginta anni. Vnde in hac ætate, nisi euidenter constat ex robustiore complexionem posse absque læsione ieiunare, non tenentur ad ieiunia: quia ex quo de ætate constat, & de robore est ambiguum, non est expectandus casus amplior virtutis: quæ quum manifestè deficere incipit, irrepabilis est.

Excusantur infirmi & debiles manifestè, aut iussu medicorũ habentiũ timorè Dei, mulieres prægnantes & lactantes, quia egent alimento multiplici, sicut illi qui crescunt. s. pro se, & pro feru seu prole. Et hos quidem excusat impotentia naturalis: illos autem qui hora prandii non possunt habere sufficientem refectioem, excusat impotentia habendi panem, &c. Ex necessitate excusatur quis quandoque aliquid impe-

impediens ieiunium oportet facere quod est necessarium ad salutem seu sanitatem corporis vel animæ vel ad statum temporalem, vel ad vitandum damnum, vel ad acquirendum aliquid de raro contingentibus: ut si oportet aliquem quantum potest laborare, cum quo non stat ieiunium (quia aliter non potest se suamque familiam alere, vestire, dotare, tenere filium in studio, &c.) non tenetur minuere laborem ut ieiunet. Et hinc excusantur non solum laborantes in agricultura, sed in quacunque arte, qui aut vix sic, aut nec sic acquirere possunt omnia necessaria, sibi familiæque suæ, &c. si cum huiusmodi exercitio non possunt simul deiunare. Excusantur quoque omnes ex necessitate cuiuscunque debiti operis, si cū exequutione debiti operis non potest quis ieiunare: quia lex ieiunii sicut non impedit necessaria opera, ita non impedit opera debita. Et hinc fit, ut quum longum iter debitum est impediens ieiunium, absoluat à ieiunio. Similiter si vir non potest ieiunando debitum vxori reddere, non tenetur ieiunare. Et similiter si vxor non potest se gratam viro seruare (puta quia propter ieiunium macilenta aut pallida despicitur à viro) non tenetur ieiunare. Et vniuersaliter non tenetur homo, omittere opus aliquod ad quod tenetur, ob præceptum ieiunii.

Ex pietate autem maioris boni excusantur à ieiunio quicumque alicui maiori bono incumbunt, quod non possunt ieiunando efficere: quia ieiunium præcipitur ut promotiuum ad bonum, & non ut impeditiuum maioris boni. Et hinc excusantur, qui pietatis seu misericordiae corporalis aut spiritualis operibus vacat, si cū his non possunt ieiunare: quoniam opera vtriusque misericordiae meliora sunt quam ieiunii: iuxta illud Apostoli, Corporalis exercitatio ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia valet. Verum quia pere-

grinatio sub genere est corporalis exercitationis plus
 quā ieiunium (quia ieiunium est actus virtutis. scilicet ab-
 stinentiæ seu temperantiæ: peregrinatio verò nullius
 importat virtutis actum, sed à religione imperatiuè
 assumitur in peregrinatione ad loca sancta) non au-
 deo excusare à ieiunio propter peregrinationem nõ
 necessariam ad loca sancta, nisi in duobus casibus. Pri-
 mus est, si illius personæ peregrinatio ad locum illum
 esset valde utilis ad diuinum honorem: puta quia est
 persona auctoritatis, ex cuius peregrinatione mul-
 torum augetur communis deuotio, & ille non po-
 test simul ieiunare & peregrinari. Secundus est, si fer-
 uor deuotionis sic accendit ad peregrinandum, vt uti-
 lius animæ peregrinantis sit peregrinari sine ieiunio,
 quā ieiunare sine tali peregrinatione. Et vtriusque
 ratio est vna: quia ieiunium non debet esse impedi-
 tium maioris boni, in primo autem casu impedi-
 ret maius bonum commune: in secundo verò maius
 bonum proprium. Hæc de causa excusante à ieiunio
 verè rationabili & sufficiente. De rationabili autem
 causa æstimata sufficiente ab ipso debente ieiunare,
 vel à suadentibus illi, quamuis in veritate sufficiens
 non fuerit: dicendum est quod si absque fraude ali-
 qua credit quis se excusari ob aliquem laborem, vel
 dolorem, vel occurrentiam, & propterea frangit ieiu-
 nium, ita quod non frangerent illud nisi crederet se
 in casu illo excusari à peccato violati ieiunii, non est
 talis transgressor præcepti: quia nec per se agit cõtra
 præceptum (quia ex intentione non prætextit obe-
 dientiam nec abstinentiam) nec per accidens seu ma-
 terialiter sic operatur, vt redeat peccatum in natu-
 ram suæ formæ: quia nihil hic ponitur interuenire fa-
 ciens hanc reductionem: quum nec scandalum nec
 nocumentum aut aliquid huiusmodi admisceri po-
 tatur. Et ex hoc capite innumerabiles personæ timo-

rata excusantur sæpissimè à transgressione præcepti de ieiunio dum vel ex multis reputatis secundum ipsos rationabilibus causis soluerunt ieiunium, aut collationem excessiuam putarunt sibi licere absque solutione ieiunii propter debilitatem, propter somnum habendum &c. omnium enim huiusmodi vna est quam diximus ratio excusans. Et caute ne sis imprudens, & nimis sapiens in oculis tuis, dicendo quod omnino isti soluunt ieiunium &c. & sis causa quod isti non ieiuent iuxta suum posse: nam ipsi sic ut dictum est agendo, non agunt contra præceptum Ecclesiæ, & forte quandoque nec venialiter peccant: & ex tua sapientiâ agent fortè postmodum contra præceptum: sicut ieiunantes ter in hebdomada in quadragesima, audientes à doctis stultis quod quicumque unum diem non seruat, reus est totius quadragesimæ, omittunt etiam illorum trium dierum ieiunium in damnationem vtrorunque, si enim cæcus cæcum duxerit, ambo in foueam cadunt. Satisfacit enim Ecclesiæ præcepto, qui impotentem se putans ad ieiunium totius quadragesimæ, alternis diebus ieiunat, aut bis aut semel in hebdomada iuxta vires suas. Et similiter qui ientaculo serotino eget pro sustentatione naturæ, & cum illo potest pertransire, non est propterea licentiatus ut cœnet: moralia enim præcepta moraliter sunt interpretanda in exequutione, ut mos bonus intentus in exequutione quantum fieri potest seruetur. De rationabili demum causa authorizata, sciendum est quod optimum refugium dubitantibus ac timèntibus est superioris autoritas. Nam qui causam aliquam habet rationabilem quidem sed iudicio suo non sufficientem aut dúbiam, exponat negotium suum fideliter superiori, & illius arbitrium potest sequi. Superior autem debet non puro cõsilio, sed autoritatè suâ interponendo dispensare,

si videtur sufficiens causa, aut commutare in aliquam eleemosynam, vel orationem, seu aliquod aliud opus pium, si de sufficientia causæ dubitat, aut causam minus sufficientem absolute cognoscit, sed supplendam per commutationem iudicat in tali casu. Verbi gratia, persona suis commoditatibus assueta, iter aggressura est, & difficillimum sibi fore cognoscit ieiunium cum conditionibus itineris, submittit se superiori: & videtur superiori expedire animæ illius in hoc casu dispensationem: & propterea supplendo commutat in aliud opus pium, & præcipue eleemosynæ. Vocatur autem superior in huiusmodi casibus Episcopus: & si causa facilis est, aut Episcopus non potest commode adiri, proprius curatus, & apud religiosos sius Prælati, quia pro his minimis nulla ratio suadet oportere passim Papam adire. Nec solum hæc potest Episcopus, sed etiam potest & debet transferre ieiunium occurrens in magno festo in antecedentem diem: ut ieiunia Christiani populi consonent iuris dispositioni: ut si vigilia Ioannis Baptistæ occurrerit in die corporis Christi, debet populus mandate Episcopo ieiunare in vigilia corporis Christi & in die corporis Christi vesci carnibus sicut in die dominico: & in hoc eodem debent religiosi conformari, quantum ad ieiunii translationem. Idem est autem iudicium si in festo solenni patroni civitatis vigilia aliqua occurrerit.

Notantur autem loquor de ieiunio vigiliæ: quia ecclesia fugit vigiliam fieri in festis, & propterea Ioannis Evangelistæ vigiliam non facit in festo sancti Stephani. Non horrent autem ieiunium quatuor temporum in festis: ut patet de festis sanctorum Thomæ, Matthæi apostolorum, quæ sæpe in ieiuniis quatuor temporum celebrat. Hæc de tertio.

Vincit